



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia IV. De Maria Magdalena.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA IV.

D E

Maria Magdalena.

ERuditione non minus ac purpurâ Eminentissimus Annalium parens Cardinalis Baronius in hanc de Maria Magdalena Controversiam ingressus tom. 1. ad annum Christi 32. n. 17. hæc proloquitur. *Quæstionem satis prolixam, multisque inter disserendum perplexitatibus auctam aggredimur. Scimus quidem in his peruestigandis tam antiquorum, quam etiam recentiorum magnum studium magnamque laborem collocatum, ut jam non mediocris laboris sit, singula ab iis Scripta pensare, & quid certius, aut quid verius dictum dijudicare? Huic autem labori à viro quam maximè industrio suscepto certitudinis fructus vix correspondit. Siquidem post editos Annalium Libros, quæstio discussa, & non minori, quam antea calore suscepta, Controversia diu multumque agitata. In incerto tamen relictum est, an Maria Magdalena sit Maria soror Lazari, itémque fœmina illa, quæ erat in civitate peccatrix Luc. cap. 7. Quæstio, ut idem Baronius in not. ad Martyrol. Rom. Famolissima, & antiquitus disputata. Quæstio nobilis & multis voluminibus disputata, sicut fatetur cum Maldonato Adamus Conzen, in Matth. cap. 26. Fortè, ut addit, operosè magis, quam necessariò aut utiliter.*

Communis quidem & antiqua in Occidente fert opinio quod Maria Magdalena, & Maria soror Lazari & mulier peccatrix sit una eadémque persona, non verò apud Orientales, qui has personas discriminant. Author Constitut. Apostolic. Lib. 3. cap. 6. Inter fœminas, quæ Apostolos comitabantur, Recenset & Mariam Magdalenam, & Mariam sororem Lazari. Theophilactus Antiochenus duas distinguit fœminas, quæ unxerunt Christum Dominum. S. Irenæus inter gesta, quæ Lucas solus memorat, recenset peccatricis unctionem; proinde distinguit hujus mulieris unctionem ab illa, cuius alii Evangelistæ etiam meminerunt. Sic pariter Origenes tract. 35. in Matth. scribit. *Multi quidem existimant de una eadémque muliere quatuor Evangelistas exposuisse: quia conscripserunt tale quid de muliere, & omnes simul Alabastrum unguenti nominarunt.* Verùm ipse, tract. 30. in Matth. Distinguit hanc fœminam ab illa, quæ unxit apud Matth. Marc. & Joan. Nec sibi verisimile videri asserit, quod Maria, Martha soror, fuerit in civitate peccatrix. Fatetur tamen ibidem, quod à pluribus contrarium doceatur. Interim mirum videri debet, quod Baronius in Annalibus velit Origenem à sua sententia recessisse, eò quòd

D

homil.

homil. de Maria Magd. adstruat unam eandemque fuisse mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, & in domo Simonis unxit pedes JESU, cum Maria sorore Marthæ, quæ cum unguento ad sepulchrum properavit; quandoquidem hanc homiliam non esse Origenis, sed multò recentioris Latini in not. ad Martyr. 22. Julii asserat. Eusebius Cæsareensis adhæret opinioni de duabus distinctis, attamen contrariam non improbat S. Macarius sororem Marthæ à peccatrice diversam facit. S. Joannes Chrysostomus discernit unctricem, cujus meminit Joannes, ab illa, quam refert Lucas; & hom. 81. conceptis verbis proficitur, quod Maria soror Marthæ non fuerit in civitate peccatrix. Titus Bostrensis, si tamen Author Commentarii, observat aliam esse sceminam, quam Lucas cap. 7. refert ab ea, de qua cæteri Evangelistæ scribunt, cui opinamento cum plerisque Græcis adhærescit. Modestus Patriarcha Hierosol. recenset quod Maria Magdalena semper in summa vitæ puritate vixerit & Virgo obierit: quin, teste Aquitino, Omnes Sancti Patres Græci (deempto Clemente Alexan. qui unctioes uni tribuere videtur) distinxerunt unctionem peccatricis ab illa, quæ in Bethania facta refertur. Idem Author observat illos Patres ferè omnes ob temporis diversitatem distinxisse unctionem, cujus meminerunt Matthæus & Marcus, ab illa, de qua narrat Joannes. Quantum verò spectat ad Patres Latinos, in decisione hujus Controversiæ non conveniunt invicem, nec sibi met satis constant. Sunt, qui personas distinguunt: sunt qui eandem volunt: & ii, qui alicubi distinctionem negant, alibi admittunt. Tertullianus videtur mulieres confundere. S. Ambrosius in Luc. 7. incertus est. De Salomone cap. 5. unam tantum agnoscit. S. Hieronymus Lib. 2. contra Jovinian. Sic discurret. Hic jam quaritur in corpore, qui pedibus Domini dignus sit... Quod & duæ mulieres in

Evangelio, poenitens & Sancta significant, quarum altera pedes, altera caput tenet: tametsi nonnulli existimant unam esse, & quæ primum caput à pedibus, eam gradatim ad verticem pervenisse. Commentar. in Matth. æquè obscurans; quanquam ea, quæ pro distinctione adducit appareant validiora iis, quæ in contrarium adfert epist. 148. S. Augustinus tract. 45. in Joann. anceps est, dum scribit. Ecce ipsa soror Lazari (sita men ipsa est, quæ pedes Domini unxit unguento &c.) melius suscitata est. Sed Lib. 2. de consensu Evang. cap. 79. magis propendet in opinionem, quæ confundit peccatricem cum Maria sorore Lazari. S. Gregorius Magnus, ut colligitur ex Hom. 25. & 33. item cap. 186. Lib. 6. epist. inter Latinos primus creditur, qui expressè peccatricem cum sorore Lazari confundit, & velut certum supponit; ideòque probare non satagit. An hæc opinio apud quenquam Scriptorem Ecclesiasticum, Gregorio antiquiorem, non audeat Estius affirmare, observans quod, dum Origenes dicit multos existimare de una eandemque muliere quatuor Evangelistas locutos esse, tantum de iis agat Evangelistarum narrationibus, in quibus fit mentio mulieris ungentis Christum, quod de Maria Magdalena expresso nomine nusquam legitur.

Hujus igitur Pontificis, & Ecclesiastici officii aut conditoris aut restauratoris auctoritas effecit, ut in eodem officio fuerit sine ulteriori inquisitione personarum sine confusione introducta confusio, deinceps retenta, & sine contradictione credita. Licet tamen Gilbertus Abbas Vistrensis in Anglia testetur circa annum Christi 1098. librum à se visum, in quo Gregorii Magni opinio fuerit impugnata. Venerabilis Beda in Luc. cap. 5. Rupertus Tuiriensis, Sedulius in cam. Pasch. Petrus Chrysol. serm. 93. &c. Gregorio adhærent. S. Bernardus ambigüè loquitur, negat tamen Mariam sororem

rorem

rorem esse peccatricem in civitate, adeoque de Magdalena dubium esse potest. Gerardus à Nazareth Laodicensis Episcopus, ut ex Joanne Sarisbur. refert Genebrardus *Lib. 4. Chronol. ad ann. Ch. 1144.* De una Maria contra Græcos scripsit. Albertus Magnus solum memorat in Occidente Sancti Gregorii opinionem prævalere, absque eo, quod suam proferat. Magistrum imitatur Sanctus Thom. Aq. Nic. Lyranus ad distinctionem inclinat. S. Antoninus sentiendi libertatem hinc permittit. Alii etiam recentiores antiquorum Scriptorum duntaxat referunt arbitria. Sæculo demum XVI. tam olim agitatam, quam postea Ecclesiæ veluti usi sopitam controvertiam resuscitavit Jacobus Faber, tantopere à Trithemio in *addit. Catalog.* Laudatus, quo ille & plebejos non leviter offendit, & eruditos in se concitavit; etiam idè à sacra facultate Parisiensi censuratus. Meritò quidem; quia tres Magdalenas extitisse contendit, quod nec scriptum nec traditum dignoscitur. Agnoscens deinde errorem, alium tractatum edidit de duplici & una Mariâ Magdalena. Nihilominus tamen tanquam doctrinæ heterodoxæ fautor à Sorbona exauctoratus fuit. Parlamentum quòque supremum ipsum excussisset, nisi valido patrociniò protectus fuisset. Grandævus & centenariò major obiit; foelicior, si media ætate hinc abiisset. Haud diu post, non obstante censura Parisiensi; Joannes Clitoveus Fabri opinionem defendendam suscepit, ad instinctum Episcopi Parisiensis Stephani Poncher; oppugnatus à Joanne Fischeo Episcopo Roffensi in Anglia. Nec prorsus nova Fabri & Clitovei hæc videri posset sententia. Eusebius namque Cæsarensis in *epist. ad Marin.* apud Turrianum *de const. Apost.* narrat, haud tamen approbat, fuisse tuo tempore, qui opinarentur duas fuisse Marias Magdalenas, quarum altera à Domino post resurrectionem audiverit. *Noli me tangere*, altera verò

occurrentis Domini pedes tenuerit cum Maria Jacobi. Postremis temporibus Jansenius Episcopus Gandav. Maldonatus, Barradius, & quicunque deinceps in Scripturam Sacram commentati sunt, sustinuerunt, peccatricem, Mariam Magdalenam & Mariam sororem Lazari esse unam eandemque foeminam. Alphonfus Salmeron tamen, Turrianus, Nicolaus Zegerus, Guil. Estius in *Orat.* habita 1609, Joannes de Launoy in *tract. hac de re* Anno 1636. edito, Ægidius Gelenius &c. distinguunt Magdalenam à sorore Lazari, quas Baronius aliique multi confundunt. Nostro denique tempore. Aquitinus, Parochus Lugdunensis in Gallia dissertationem edidit anno ultimo sæculi elapsi contra Lamy & maudit Oratorii D. N. I. C. Presbyteros, identitatem omnibus suæ eruditionis nervis propugnantes; conaturque demonstrare peccatricem, sororem Lazari & Mariam Magdalenam esse tres personas distinctas. Cæterum, cum ex his sat appareat, quod ab utraque parte stet antiquitas Patrumque Authoritas, necnon recentiorum Scriptorum favor; res ex ipsa Sacra Scriptura accuratiùs petenda videtur. Quod Maria Magdalena & Maria soror Lazari sint diversæ personæ hisce probari poterit.

I. Diversitas personarum, de quibus inquiritur ex diversitate locorum natalium sumitur. Alio autem loco fuit Maria Magdalena oriunda, alio Maria soror Lazari. Hæc erat de Bethania *Jo. cap. 11. Erat autem quidam languens Lazarus de Bethania, de Castello Maria &c.* Magdalena autem erat de Galilæa *Matth. cap. 27. Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secuta fuerant Jesum à Galilæa ministrantes ei.* In harum censum refertur Maria Magdalena. Item reperitur apud Marcum. Utræque autem Evangelista perhibet, Angelum Domini Mariæ Magdalene dixisse, quod Christus in Galilæam præcedet, ubi videndus. Quod si

Maria Magdalena non fuisset ex illa provincia, nulla est ratio, cur illuc rediret, quin potius in Bethania mansisset. In Galilæa fuisse natam inde colligitur, quod inibi sit oppidum *Magdalel*, unde ipsa nomen traxit. Præterea Maria Magdalena venit cum Christo de Galilæa in Jerusalem, quando Maria soror Lazari erat in Bethania. *7a. cit. cap. 11.* quæ inde misit, ut nuntiaret Christo fratrem Lazarum infirmari. Posthæc Salvator biduo adhuc subsistit in Galilæa, deinde in Bethaniam venit, quatrinduo post Lazari mortem. Postquam hunc resuscitaverat, non venit amplius in Galilæam. Ergo Maria soror Lazari non potuit cum Christo venisse, neque eadem cum Maria Magdalena esse: hanc enim numerat Evangelista inter eas, quæ cum eo venerant. Demum ipse modus loquendi de Maria Magdalena & Maria sorore Lazari diversas arguit personas. Cùm enim Lucas *cap. 8.* narrasset Mariam Magdalenam inter illas fuisse, quæ à Galilæa Christum per Samariam euntem in Jerusalem sequebantur *cap. 10.* refert, quod JESUS intraverit in quoddam Castellum, *Et mulier quædam nomine Martha; & huic erat soror nomine Maria.* Quæ periodus generat ideam de duabus personis, quarum antea mentio non fuit facta. Quare hæc Maria non erat illa Maria Magdalena, de qua ante dictum, quod in comitatu Christi erat sollicita de iis, quæ necessaria erant.

Respondent ex adverso, feminam meretricem uno loco non consistere & juxta Proverb. *cap. 7.* vagam & quietis impatientem peragrari turpis lucri gratiâ: proinde potuisse Mariam in Galilæam secessisse, & ad meliorem frugem redactam ad propria rediisse. Verùm hæc responsio non evacuat illa, quæ de Mariæ Magdalena ortu, de illius post Christi resurrectionem secessu in Galilæam; neque quæ ex Luca observantur. Supponitur præterea, quod Maria Magdalena fuerit in civitate peccatrix, quod alii passim ne-

gant. Demum Maria & Martha non erant ex earum numero, quæ Christum assidue sequebantur ministerii causâ: sed tantum de iis legitur apud Lucam & Joannem, quod Christo solitæ erant hospitium suæ domus præbere, qui ubi tale quid referunt, nunquam Magdalenam cognominant.

II. Diversa vitæ ratio indicat harum personarum diversitatem, quas etiam ipsi Historici Sacri cognomine distinguunt, dum unam semper Mariam Magdalenam, alteram sororem Marthæ nuncupant. Hæc contemplationi addicta, sedens ad pedes Domini, audiebat verbum illius; illa negotiosam vitam agens à septem dæmoniis liberata Christum secuta ministrabat necessaria, emit aromata ad unguendum corpus mortui, quem prima meruit resurgentem videre. Hæc omnia contingere in Galilæa & Jerusalem; alia verò in Bethania.

Respondent alii, utramque vitam posse conjungi, ut varii Sancti vitam contemplativam pariter & activam conjunxerunt, & in diversis Ordinibus Religiosis observatur. Potuit etiam eadem, quæ prius activam duxerat vitam, postea contemplationi sese dedidisse. Aliam in Galilæa eadem mulier, aliam in Bethania diverso tempore potuit egisse vitam.

III. Ideo reputatur eadem, cùm debeant esse diversæ personæ, quod Maria soror Marthæ sex diebus ante Pascha Christum librâ unguenti nardi pistici pretiosi unxerit: quando Jesus ad indignationem Judæ. *Joan. cap. 12.* dixit. *Demitte illam, ut in die sepulture mee servet illud.* Seu, ut *Matth. cap. 26.* *Mittens hoc unguentum in caput meum ad sepeliendum me fecit.* Et *Marc. cap. 14.* *Prævenit ungeri corpus meum in sepulturam.* Et quia constat ex eodem Marco, quod Maria Magdalena venerit cum aliis ad sepulchrum, ut ungeret corpus JESU, nec aliqua apud hunc, vel alios Evangelistas habeatur mentio de sorore Lazari ad illud munus

nus præstandum à Christo superius monstra-
ta ; inde colligi deberet unam eandemque
fuisse Mariam , quæ utramque obient fun-
ctionem.

Verùm Authores diversificantes hoc fun-
damentum minus sufficiens reputant , vo-
luntque genuinum ci atorum textuum esse
hunc sensum ; quod Maria soror Marthæ in
ritu illo usitato cæteros præoccupaverit , fe-
ceritque præviè , quod post mortem fieri so-
lebat. Dixit autem Christus. *Sinite illam ,
ut in die sepulturae meae servet illud.* Id est.
Servavit hoc unguentum pro sepultura mea ,
& velut jam esset dies sepulturae meae , me
nunc illo ungit unguento : non quod fortas-
se hæc quidquam de sepultura cogitaverit :
sed, quod tam commodè tamque opportu-
nè me unxit, ut ea de causa unxisse videatur.
Quod Marcus indicat. *Prævenit ungere ,
corpus meum in sepulturam.* Id est : intelli-
gendum Tanquam in die sepulturae , ut ha-
bet textus Syriacus. Atque sic intelligendum
etiam illud Joan. *Sinite illam ut in die sepul-
turae meae servet illud* ubi Græci legunt. *Ser-
vavit , vel servaverit.* Et est sensus. Sinite
te , ut non frustra servaverit hoc unguen-
dum ad me sepeliendum ; unguendo scilicet
nunc me pro illo die , quo sepulchro condar.
Sic enim ipso eventu non frustra servavit. Ita
Jansen. in *Tetrateucho* in cap. 26. *Matth.*
Itaque hic minimè inferri videtur , quod ea-
dem sit mulier , quæ unguento prævenit , &
jam Dominum unxit quasi in ipsa sepultura ,
& quæ postea cum avis ad monumentum
unctonis causa venit. Quod si inter has
mulieres exit sset etiam illa , quæ prævenien-
do unxerat ; utique Evangelista , dum eam
nominat , Christo exhibitum paulò ante si-
mile pietatis officium commemorasset.

Nunc ad alteram quæstionem proceden-
dum. An scilicet Maria soror Lazari sit ea-
dem illa mulier de qua Luc. 7. *Erat in civi-
tate peccatrix.* *Opinio affirmativa hodie vi-
get, estque à plerisque recepta , teste Estio in*

*cit. Orat. Orium verò traxit inde, quod un-
ctio illa , de qua Lucas memorato cap. 7.
Credatur eadem cujus meminît Matth. cap.
26. Quando JESUS manducavit panem in
domo Simonis Leprosi, & intravit mulier &c.
In iisdem ferè circumstantiis intrantem uxore
n refert Marcus cap. 24. Joannes autem
cap. 12. narrat , quemadmodum JESUS in
Bethania existens in prandio , ubi pariter
erat Lazarus resuscitatus , Maria soror illius
effuderit super pedes ejus unguentum , cujus
capite præcedente meminerat.*

Atque hæc à quatuor Evangelistis configa-
na a circumstantiarum diversitas discrepan-
tium præbuit occasionem opinionum : Sic ,
ut non defuerit , qui quatuor diversas actio-
nes , eisdemque personas fuisse credidit.
Alii, inter quos Nicephorus *Lib. 1. cap. 27.*
cum S. Augustino, non obstante illa circum-
stantiarum diversitate sentiunt esse unicam
unctionem : indèque concludunt , quia
Lucas unctricem dicit peccatricem , Mat-
thæus & Marcus indefinitè loquantur , Jo-
annes verò Mariam sororem Lazari appeller,
quod mulier illa in civitate peccatrix sit Ma-
ria soror Lazari.

Hac autem hypothese destructa dissolvitur
identitas personarum. Quidquid sit de un-
ctione apud Matthæum & Marcum , quam
vetusti Scriptores (Excipe Origenem, quem
secuti Theophilactus in Marcum, Euthymius
in Matth. qui etiam ad diversas referunt per-
sonas) æquè ac moderni Interpretes ferè
omnes eandem dixerunt , quam referi Jo-
annes. Imo S. Augustinus *Lib. 2. de consen-
Evangelis. cap. 79.* sustinet non esse dubium
quin eandem rem memorati tres Evangelistæ
narrent gestam in Bethania : & quod obsta-
re videtur , dum unus Evangelista narrat pe-
dibus infusum unguentum , alii verò capiti,
doctè apparentem dissonantiam resolvit.
Volunt tamen quod unctio apud Lucam sit
facta medio tempore , quando JESUS prædi-
cavit parum ante decollationem S. Joannis

Eapt. alia autem unctio facta sit ante sex dies Paschæ. Prima contigit in Galilæa & verisimiliter in Naim: altera certò peracta fuit in Bethania. Illa facta est apud Pharisæum quendam nomine Simon, hæc contigit apud quendam Simonem, qui condictus *Leprosus*. In prima unguentum commune applicatur; in secunda unguentum nardi piltici pretiosi effunditur. In prima apparuit peccatrix publica, quæ lachrymis lavit pedes Domini, & capillis suis extersit, in secunda adest pia femina Christo nota. In prima Pharisæus scandalizatur, in secunda discipuli, & potissimum Judas, murmurant. Quamquam autem ex harum circumstantiarum diversitate plures non infimæ notæ Commentatores inducantur, ut credant unctioes fuisse duas, nolunt tamen cuncti pernoscere admittere personas diversas, quæ Christum unxerunt; arbitranturque unamque unctioem in Bethania factam. Moventur verò inde, quod in Judæa, & loco Jerusalem proximo, sit prima unctio peracta cum dicatur *In civitate peccatrix*. Sed absque fundamento. Quasi verò nulli alteri loco convenire posset quod civitas vocaretur: id, quod falsum esse patet ex diversis Sacræ Scripturæ locis, in quibus nominantur civitates plurimum à Jerusalem distantes. *Luc. cap. 10.* misit Christus discipulos in omnem civitatem & locum, quo ipse erat venturus. *Cap. 7.* Naim vocatur civitas. Nazareth, Bethlehem &c. civitates appellantur. Admissò etiam, quod Jerusalem antonomastice civitas appelletur: sic, ut indeterminatè *Tò Civitas*. Jerusalem significet: non tamen tunc concedi potest illud, quando paulò ante de alia civitate fuit determinatè mentio facta, sicut citato capite *Luc. 7.* Naim civitas nuncupatur, ubi paulò post narratur, quod unctio fuerit facta. Et quia secunda in Bethania contigit, non apparet, quomodo apud eundem Simonem, ut prætenditur, fieri potuerit. Nihilominus hoc tibi aliisque

persuasum voluit eruditissimus ævi nostri Scriptor de la Charmoye Abbas in Gallia, in ea quidem suppositione, quod dum JESUS ultimò è Galilæa Jerusalem secessit, Simon quoque cum Lazaro eam Provinciam deseruerit, & in Bethania domicilium fixerit. Verùm inanis falixque hæc conjectatio ab eruditis omnibus planè rejicitur. Neque diversitatem personarum elidit illud, quod eadem persona diversa possit habere nomina: cum enim illud ordinariè non contingat; probandum restat, Simonem *Pharisæum* etiam nominatum fuisse *Leprosum*. Nomina, & maxime aognomina servantur ad distinctionem personarum; adeoque bene inferitur, quod diversæ sint personæ, quando juxta diversas qualitates diversimodè nominantur, præsertim, quando Historicus non indicat eundem esse, de quo sub diversa appellatione agit. Sic Paulus Binonymus ab eodem Luca *Act. 13.* inducitur. Sic BARJESU Elymas dicitur. Simile quid in Simone minime notatur, quando nullus Evangelista observat eundem fuisse Leprosum cognominatum, qui Pharisæus erat. Imo hujus & illius nobis alia repræsentatur idea. Primus suæ sectæ tenax assecta traditionum inanimum cultor accuratissimus, tumidus & superciliosus, Domini actiones & verba suo metuebatur supercilio: altero autem ob lepram exolus, paucis, & inter hos Lazaro ac fororibus hujus familiaris. Licet itaque Joannes unctricis nomen designet, haud tamen videtur esse illa, cujus Lucas nomen subicit.

Huic plenis velis sic occurrit Baronius *Loc. cit. num. 25.* Cum tam insigniter testetur Joannes Evangelista, Mariam sororem Lazari & Marthe eandem esse cum illa Jo. cap. 11. quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus: qua non per recapitulationem de unctioe, quæ in Bethania Jo. 12. Sed de unctioe in Galilæa facta, intelligenda sunt. Secus enim illo
addi-

additamento, quanam esset, non tantum eam significasset: sed potius obscurasset ac confudisset. Nimirum quia illa prima, quæ unxerat in Galilea videtur esse descripta. At quoniam de illa loquebatur, non alio ad eam demonstrandam opus erat signo. Quod quidem non suffecisset: sed aliud necessario addendum fuisset, ut hanc ab illa distingueret, si de alia, ab ea diversa intelligere voluisset. Itaque neque locorum diversitas, neque hospitium distincta nomina, neque aliarum conditionum circumstantiæ inducere potuerunt virum perspicacissimum, ut admitteret personas diversas: quin conceptis verbis *num. seq.* agnoscit Mariam Magdalenam ter unxisse Dominum. Primò in domo Pharisæi Luc. 7. Secundò ante sex dies Paschæ Joan. 12. in domo Pharisæi. Tertiò in domo Simonis Leprosi, quando fracto Allabaistro effudit unguentum super caput ejus. Sed viderit ipse, quomodo satisfacere possit Sancto Augustino supra citato *Lib. 2. de conf. Evang. cap. 79.*

II. Mulier in civitate peccatrix scortum expudoratum erat, quod prudenter de Maria sorore Lazari dici nequit, proinde neque haberi potest pro muliere illa, quæ fuit sic à Luca vocata, quali omnium libidini ferviret. Hanc verò scortum fuisse tale, liquet ex ipsa narratione; quandoquidem hujus mulieris temeritas Pharisæo scandalum fuit: nec Christus de ea malè cogitantem arguit: quin potius fateretur multorum criminum ream, quæ multum diligenti sunt remissa. Frustra ergo tum citati Authores, tum devotè nimis Concionatores moliantur mulierem illam immunem reddere à carnis spurcitiis, qui nomen peccatricis, ratione immodici cultus, superflui ornatus, aut aliarum illecebrarum promeritam esse asserunt. Communissima autem est Sanctorum Patrum aliorumque Scriptorum opinio, quod mulieri huic infame peccatricis nomen fuerit in tota civitate inditum, quia fordidissimi quæ-

stus gratiâ prostabat, ejusque turpitudine venialis erat juxta illud Nafonis. 1. *Amor. 10.*

*Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et miser as jussu corpore querit opes.*

Quantus quisque autem sibi persuadebit Mariam, generis opumque splendore illustrem, fratrem sororemque reliquisse, ac in civitate Naim sese ob questum publicè prostituisse, denique post obtentam criminum remissionem domum rediisse, ac cum Christo tam familiariter egisse? Joan. *cap. 11.* multi ex Judæis honoris causâ Mariam inviserunt, ut consolarentur eam super morte fratris, quod nequaquam facturi fuissent, si impudica & meretricia conversatione familiam suam dehonestasset. Neque, ut ait Estius, Christus tam familiariter cum suis discipulis hujus Mariæ domum frequentasset, multò minus apud eam hospitium etiam nocturnum, quod ex Evangeliiis fecisse constat, elegisset, si fuisset aliquando meretrix, eaque publicè infamis. Talium quippe familiaris & domestica consuetudo, etiam post actam pœnitentiam, viris etiam Sanctis fugienda est, saltem nequis infirmus scandalizetur. Nec verò Judæi prætermisissent Christo & discipulis ejus hanc calumniam impingere, qui tam multa alia leguntur in eo criminati fuisse. Qui enim dicebant. *Hic cum peccatoribus manducat & bibit.* An non multò magis dicturi erant. *Hic hospitatur apud meretricem publicam?* Ita ferè cit. Author.

His ergo sat prolixè discussis restat tertium expediendum, an peccatrix in civitate fuerit Maria Magdalena, è qua Dominus septem ejecit demonia. Scribit quidem S. Gregorius Magnus. *Septem demonia habuit, quæ vitis universis plena fuit.* Nihilominus tamen textum in sensu literali intelligendum, atque Mariam Magdalenam verè à septem demo-

dæmoniis obsessam, & à Christo Domino liberatam, Sanctorum Patrum constans est opinio, conformis regulæ S. Augustini. Tunc scilicet in sensu literali Sacras Litteras esse intelligendas, quando nil absurdi inde sequitur. Et si in sensu tantùm allegorico, per dæmonia hæc sunt intelligenda peccata; quidni in simili sensu dæmonia in omnibus energumenis à Christo liberatis, cæteraque hujus miracula intelligenda veniunt? quo sequeretur totius Evangelii destructio, quod secundùm veritatem historicam res gestas exponit. Quodsi etiam in sensu allegorico peccatrix vitiiis universis plena fuit; quomodo ergo creditur exempta à vitiiis carnis?

Supposito ergo sensu literali & historico, in hoc quisquis hærebit, quomodo Magdalena publica, ob corporis prostitutionem, peccatrix esse potuerit; cum energumena non amorem citere: sed horrorem etiam incutere soleat intuentibus, quanto majorem concumbentibus?

Respondent Baronius, Maudit, Alexander &c. quod alio tempore fuerit Magdalena obsessa, alio autem peccatrix publica. Et postremi quidem ex citatis volunt illam à dæmoniis liberatam fuisse ante convivium. Luc. cap. 7. In hoc tamen discrepant quod Maudit supponat Magdalenam adhuc fuisse peccatricem, dum domum ingressa; alter contendat, jam modo conversam fuisse. Charmoye asseverat à dæmonibus liberatam pariterque in ipsa domo Simonis conversam. Ast hoc ratio non sinit: nequaquam enim hoc corporale miraculum, spirituali conjunctum, Evangelista tacuisset, præsertim in tanta dicendi opportunitate. Accedit, quod plurimi Interpretum antiquorum observent hanc mulierem unicam & solam esse, quæ à Domino tunc spirituale donum aut gratiam, animæ proficuum, petierit; ergo in ipso convivio obsessa hæc non fuit liberata, nec à dæmoniis liberari petiit. Interim Gardi-

nalis nullum inconueniens reperit; sive ante sive post dicatur Magdalena liberata: propendet tamen in opinionem, quæ liberationem postponit. Hisce omnibus sese opponit doctissimus Aquirinus & demonstrare nititur, quod nec ante nec postea potuerit obsessa liberari. Quodsi ante hæc liberatio contigisset; quomodo tunc non desit esse peccatrix; tanto affecta beneficio? Nam certè quod aliis, etiam illi dictum fuisset. Vade & noli amplius peccare. Utrique etiam Lucas memorasset illud: neque Pharisæo in mentem venire potuisset, quasi mulier illa tam insigni affecta beneficio Salvatore ignota fuisset. Sed neque verisimile illam liberationem postea contigisse. Nam Lucas postquam de peccatrice narraverat, immediatè subjungit, quod Christus fuerit profectus: & Magdalenam recenset inter eas mulieres, ex qua septem dæmonia exierant NB. in plusquamperfecto, id est, jam diu ante; quod peccatrici applicari nequit. Deinde si postea curata dicitur, cur post remissa ei peccata & postquam audivit. *Vade in pace* adhuc à dæmonibus fuit obsessa? suffragatur: quodsi hæc sub ipso prandio obsessa adhuc fuisset, Pharisæus eandem, ut energumenam liberari cupientem, respuisset potius, quam publicam peccatricem. Deinde non solum fuit Magdalena in comitatu Christi; sed insuper necessaria suppeditabat, ut *loc. cit.* habetur. Quod ipsum si peccatrix publica præstitisset, minus conueniens videri poterat; imo adversariis, ipsisque discipulis qualemcùnque indignationis ansam præbuisset. Sed neque apparet quandonam illa peccatrix Dominum fuerit secuta. Quod enim memorati Authores asserunt, priusquam domum Simonis ingressa fuerat, Christum ordinariè comitam, repugnat ipsi contextui, & seriem historię apud Lucam vehementer turbat. Veròque proximum est, quod mulier illa usque huc Salvatore conueniendi occasionem nancisci non potuerit.

Quod

Quod autem post unctionem Dominum fuerit secuta, nemo sibi in animum facile inducet, qui observat, Christum ei dixisse & illis ipsam verbis dimisisse *Vade in Pace*. Qui modus loquendi in Scriptura Sacra usuratus est valedictionis formula: uti Homorrhœoissæ dixerat à se sanatæ, & adulteræ mulieri. Joa. 8. &c.

III. Mulier peccatrix à nullo Evangelistarum vocatur Maria aut Magdalena, nec ejus mulieris nomen Lucas silentio præterisset, si constitisset; quemadmodum etiam aliarum foeminarum nomina propria omiſſa sunt, V. G. Hæmorrhœoissæ, Samaritanæ, adulteræ deprehensæ &c. dici quidem posset, honoris causa nomen suppressum, sicut nomen Matthæi telonarii apud eundem Evangelistam Lucam. Sed, præterquam quod ratio hujus reſcientiæ à paucis tribuatur verècundia, & à pluribus admittatur Matthæus Binonymus, constat ex Scriptura foeminarum nomina expressa, quæ peccatis infames fuerant. Et quid ad consulendum ejus honori profuit, Evangelistam tacuisse nomen, si passim omnes per Ecclesiam fideles scituri erant, quænam esset? Aut cur non eadem ratione Davidis & Petri nomina suppressit Scriptura, dum eorum nobis propalavit delicta. Illud quoque specialiter hic notandum venit; quod, dum Lucas post unctionem meminit Mariæ Magdalene, statim subjungat, hanc esse, è qua exierant septem demonia: nec verbo significans, illam eandem esse, de qua proximè locutus fuerat, quam potius non eandem esse declarat. Quod si enim illa ipsa paulò ante Domini pedes unxisset, hoc potius, quam illud subjunxisset, quo narrationis seriem observaret. Verùm aliam distinctionis notam Mariæ Magdalene addere voluit. Opponitur quidem à nonnullis, Lucam in narratione rerum gestarum temporum rationem non observasse, & aliquando seu per prolepsin, seu præposterè retulisse; sed hoc in materia quæstionis pro-

bandum remanet; esto concederetur, quod tamen minimè certum, hoc alicubi ab eo factum. Quando autem exemplum probativum non est ipso exemplificato certius, nihil probat: ut docemur ex Cicerone *Lib. 1. Rhet.*

IV. Maria Magdalena citra dubium fuit Hebræa: non potuit ergo scortatione publica esse peccatrix in civitate. Lex quippe Mosaica, Philone teste *in vit. Josephi* vitabat scortationem sub pœna mortis. Certè stuprum prohibetur Levit. 21. filius Sacerdotum severissimè. *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen Patris sui, flammâ exuratur.* Quis ergo sibi persuadere valebit, aliorum Judæorum filias liberè admisisse nepotes, impunèque cuivis fuisse mercabiles ære? quod Exod. 20. Deuter. 23. proscribatur.

Respondet Natalis Alexander, lege quidem prostitutionem corporis prohibitam fuisse; nullam tamen pœnam transgressoribus constitutam. Et quia Deut. 23. habetur. *Non auferes mercedem prostibuli.* Vult, quod lex prostibula supponat ac toleret. Verùm, etiamsi lex pœnam transgressoribus infligendam non determinet, ideo tamen non licebit eandem impunè violare. Appositè Tullius *loc. supra cit.* *Qui ea committit, quæ Leges prohibent, & de quibus supplicia sunt, ea multò magis committet, de quibus nullum est supplicium.* Quod si ergo iis, qui legem, prostitutionem prohibentem violant, nulla infligatur pœna; quomodo observabitur illud Deut. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel.* Quando Alexander librum Deuter. inspexit (nisi fortè alienis credidit oculis) peregrinabantur oculi ejus, qui aliàs vir fuit oculatissimus, etiam in grandæva senectute lumine privatus: siquidem *loc. cit.* habetur. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis.* Extabant inter Judæos prostibula: sed Judææ non erant,

E

Quæ

Quæ procul abjecto meretrix effræna pudore

In civitate fuit, ex gentibus erat;
Ergo neque Maria Magdalena, neque Maria soror Lazari.

Eodem argumento pressus Baronius, sese eruere conatur, concedendo quidem legem prohibuisse scortationes: sed hanc, ut alias non fuisse à Judæis observatam, qui facilius Judæas meretrices passuri fuissent, quam gentiles; quandoquidem ad alienigenam accedere, sine mortis periculo, nemini licebat. Atque hinc tantopere commendatus fuit Phinees, dum Israëlitam cum Madiantide in Lupanari cubantem aggressus ambos gladio confoderet. Deinde si non essent permixta Israëlita meretrices in Judæa, Lex, quæ Levit. 21. prohibet Sacerdotibus uxorem meretricem ducere, haud dubiè de fœminis Israëliticis inanis esset; quia alienigenam, etiam virginem, in conjugem ducere nefas erat. Denique si peccatrix in civitate gentilis fuisset; Evangelistæ, quemadmodum de Chananæa vel Syrophœnissa, tanquam de re usitata loquentes, nequaquam illud silentio obvolvissent.

Hæc sunt, quæ utrimque in hac famosissima & antiquitus disputata questione, ut eam Marianus Victorinus in *Ind. oper. S. Hieron.* appellat, & necdum pacata Controversia in medium proferuntur. Quæ, sicut præjudiciis serviunt, si non emergat indubitata veritas, saltem talem inducent probabilitatem, ut animo querentis & dubitantis satisfactum videri posset: fortè tamen uni paritè affixum non reddent, quin de oppositè suspicietur veritate. Quod si pro distinctione personarum cuidam viderentur rationes validiores, eò minùs temerè huic opinioni adhærebit: quæ olim quidem à Theologis Parisiensibus tanquam temeraria fuit rejecta, deinceps verò à doctissimis viris Parisiis publicè defensa, sicut eidem adhærens testatur celeberrimus ævi nostri Historicus Gallus

Nanus Tillemontius in *comm. ad hist. Eccles. 6. prior. secul. tom. 2.* Illud addit, Orat. concludens, Estius, quod opinio, quæ has mulieres facit plures, bonis rationibus multiplicat numerum Sanctarum mulierum; ideòque occasionem præbet Ecclesiæ filiis Deum in pluribus laudandi. Et juxta hanc opinionem neque aliena peccata tribuuntur aliis, neque alienæ laudes.

Nihilo fecius pro identitate plurimum patrociniatur Ecclesiæ Romanæ auctoritas. Non quidem affirmat illa explicitè unam fuisse: sed sub uno nomine tres historias Evangelicas complectitur, & mulierem, quam eadem historiæ commendant, sive una fuerit, sive plures, sub uno nomine veneratur. Nam Ecclesiæ non esse eam mentem, ut velit ad unam ac eandem mulierem omnia referri, probat idem doctissimus Estius primùm ex eo, quòd cum in Ecclesiastico officio prius caneretur hymnus hujus Festi, qui incipit *Lauda Mater Ecclesia.* In quo leguntur hi versus. *Maria soror Lazari, quæ tot commisit crimina &c.* visum fuit Summo Pontifici Clementi VIII. eum hymnum submovere, & pro illo alium substituere compositum à Cardinale Bellarmino. Non enim placuit, ut tam expressis verbis de Maria sorore Lazari & Christi hospita diceretur. *Quæ tot commisit crimina.* Deinde confirmat idem Orator ex Litanis, in quibus inter Sanctarum Virginum nomina primo loco ponitur Maria Magdalena, & demum subjungitur. *Omnes Virgines & Vidua orate p. n.* At verò nullus dixerit Mariam Magdalenam viduam fuisse; fuit igitur Virgo, & à peccatrice diversa. Verùm non apparet quomodo hoc conciliari possit cum additione ex Schedis citati Authoris, in quibus legitur. *Magdalenam autem fuisse viduam habet Author Commentarii in Marc. ad cap. 15. qui extat inter opera Hieronymi. Quòd sanè non est improbabile. Aliæ enim mulieres, quæ Christo ministrarunt maritos vel habebant,*

vel

vel habuerant, ut Maria Jacobi, Joanna, Salome. Et decet viduas honestas, si facultates suppetant, ex iis ministrare servis DEI. Nec incongrua planè videri debet Censoris Ordinarii addita epictisis, scilicet fieri posse, ut sub uno Festo tres illas Sanctas venerit Ecclesia mulieres, intendens singulis apertate sua, licet id plebs per se non assequatur: ut scilicet hęc tres Sanctæ accipiantur velut una, sola commemoratione, re ipsa autem tres diversæ fuerint, & diversæ fuisse ab Ecclesia seu Ecclesiasticis viris intelligantur. Cui rei illud non est dissimile, quod Ecclesia sub uno nomine Epiphaniæ Domini tria diversa commemorat miracula, seu beneficia Domini, Adorationem Christi à Magis, Baptismum illius, & primum miraculum in Cana. Quæ tria neque constat, neque est verisimile, diversis licet annis, eodem die contigisse; Idem eodem anno, quo Dominus fuit baptizatus hoc miraculum fuisse factum, ac proinde alio die probat Baronius ad ann. Chr. 31. n. 34. & seqq. Ecclesia tamen canit. *Hodie coelesti Sponso juncta est Ecclesia, quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina, currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias; & ex aqua facto vino lacantur convivæ.* Cùm tamen certissimum sit non esse mentem Ecclesiæ aliam, quàm quod istorum trium uno die fiat commemoratio. Hoc quidem Baronius pariter sentit. n. 34. haud tamen animo sedet, quod exinde probare conatur memoratus Censor. Siquidem ad ann. Chr. 134. num. 28. post verba Christi Matth. 26. *Amen dico vobis ubicunque predicatum fuerit Evangelium hoc &c.* gravissimè more suo rem prosequitur his verbis. *Certe quidem etsi nulla alia subesset ratio, qua hac ipsa mulier & peccatrix eademque Maria soror Lazari Magdalena cognominata dici posset: tamen ut justificetur Jesus in sermonibus suis, ne falsi vaticinii (quod nefas est dictu) arguatur, affirmare necesse est, unam eandemque esse Magdalenam, nec diversas*

seu plures, dum unam tantum longè letèque per orbem diffusa Ecclesia deprecatur Magdalenam. Verùm enim verò, ut ad salvandi vaticinii divini veritatem necesse foret unam tantum uncticem, quæ in memoriam sepulturæ Christi, Alabastrum fudit super caput ejus, quod etiamnum in universa prædicatur Ecclesia, equidem JESUS in suis sermonibus justificatur, quando Paronio contradicitur, Magdalenam illam in civitate fuisse publicam peccatricem, cujus nomen ignoratur; aut dum negatur Lazari Marthæque sororem extitisse, quod negarunt & etiamnum negant viri pii & docti, veteres & recentiores; nullumque nefas inde apprehendunt.

Ex loco Joannis cap. 11. per Baronium deducto, rem totam confici arbitratu Maldonatus. Ast meminisse hunc Evangelistam ibidem unctiois antecedentis per alios relatæ probandum restat. Nullibi Joannes respicit ad facta per alios Evangelistas relatæ, ergo hęc meminisset unctiois, de qua Lucas solus scribit? Illis igitur verbis. *cit. cap. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis per prolepsin indicat unctioem mox per ipsum capite sequenti enarrandam, non secus ac dum Evangelistæ de Juda scribunt, quod fuerit proditor, & de Simone Petro, postea ita vocato, tamen antea, priusquam sic scriberetur. Sic Matth. 1. Jesse genuit David Regem, id est, qui postea factus fuit Rex. Atque hinc est, quod in vulgatis legatur unxit, cùm aliàs unxerat, legi debuisset. Quod si S. Hieronymum hujus Controversiæ arbitrum constituere placeret, jam finita erit. Sic enim ille in Matth. cap. 26. Nemo putet eandem esse, quæ supra caput effudit unguentum, & quæ supra pedes: illa enim & lacrymis lavat & crine tegit, & manifestè meretrix appellatur: de hac autem nihil tale scriptum.*

Ad roborandam tamen opinionem contrariam Jo. Fischerus Episcopus Roffensis & Cornelius Jansenius Gandavenfis &c. adducunt monumentum, quod hodie extat in Provincia, ubi Mariæ Magdalena, Martha & Lazari corpora requiescunt. Magna item in veneratione habetur ibidem spelunca Sacra inter horridas rupes & telqua, in qua Magdalena suas noxas incessanter, annis 20. delitescens, neminique cognita, lachrymis continuis deslevit, ac vitam rigidissimam duxit. Arque hæc est constans in universa Gallia receptissima traditio, quam testimonio Desiderii Tolonenfis Anno Christi 575. florentis, primò consignatam, probabilitatis censurâ afficiunt Baronius & Nat. Alexander. Et cum Joannes Launoy Disquisitionem disquisitionis de Magdalena Massiliensi Anno 1643. Parisiis evulgasset in qua ea traditio impugnatur: fuit disquisitio illa Anno sequenti à facultate Theologica Aquarum Sextiarum confixa, quia pietatem Christianam in suis partibus oppugnat, cultum ac religionem illudit; ideoque iussu Magistratus flammis tradita.

Nihilominus Du Pin tom. 18. p. 49. eam narrationem nonnisi sæculo X. auditam, ac plenam circumstantiis fabulosam esse scribit. Prodiit etiam Anno 1660. Parisiis Launoy dissertatio de commentitio Lazari &c. in Provinciam impulsu & ejusdem Dissert. Apologia adversus Jo. Bapt. Guesnæum. Multi item viri religiosi magisque pii quàm creduli, qui singulari sagacitate, & in discutiendis antiquorum monumentis exquisitâ pollent solertiâ scrupulum de his non unum injicientes fidem extenuant, ob profundum prisca antiquitatis silentium. De hoc enim Magdalena &c. exilio nil Eusebius, sedulus alias in actis SS. Proto-Notarius. Nil Gregorius Turon. qui in Gallia scribens, nil omisit, quod religioni & regioni decorum censebat. Nihil Origenes, Gregorius Magnus, Bernardus, alique veteres, qui de Beata Ma-

ria Magdalena seu scripserunt, seu disseruerunt. Advertunt præterea moderni Critici, multa in codice desiderii edito, in quo acta Sanctorum tutelarium referuntur, contineri, quæ à vero videntur profus aliena: neque eidem Libro talem tribuere voluit vetustatem, quam alii præterdunt. Vincentius Bellovacensis, ejus suffragium passim adfertur, videtur parum idoneus testis rerum, quæ pluribus sæculis ante ipsum gestæ feruntur: præsertim cum ipsi applicari possit illud Capitoiin. in Macri: cap. 1. quod Libros suos mythistoriis impleverit. In Sancti Maximini oppido ostenditur cranium decumanum, & os quoddam adæquatum, quod præfertur esse Sanctæ Mariæ Magdalena; quam oportuit proceræ admodum fuisse staturæ. Dum verò citatus Codex referat hanc istic loci obiisse, utique alia fuit ab ea Magdalena quam Gregorius Turon. *Lib. de Martyr. cap. 30.* perhibet Ephesi mortuam, ibidemque requiescere, quæ nullum super se regmen habeat. Et ne ullus relinquatur dubitandi locus, Modestus, apud Phorium in *Biblioth. Cod. 275.*, consignat, quod Maria unguentifera Ephesum post dormitionem Deiparæ profecta ad Sanctum Joannem Evangelistam, cursum Apostolicum per Martyrium compleverit. An, & quando Sacra exuvia fuerint translata, nemo fuit, qui tradidit, cujus saltem scripta in eruditorum manibus versantur. Interim Matheus Paris in *Richardo* memorat, quod corpus Sanctæ Mariæ Magdalena in Burgundia apud Vezeliacum in territorio Morivandienfi Diocesis Augustodunensis requiescat, ubi Reges Gallia & Angliæ in octava S. Joannis Baptistæ convenerant. In Historia S. Ludovici per La Chaise gallicè non ita pridem edita perhibetur, quod Rex Angliæ Ann 1267. 4.º Aprilis ex Oriente profectus Vezeliaci existens in comitatu Legati Apostolici, Comitum Pictaviensis, Regis Navaræ, & trium filiorum suorum iussu S. Ludovici ossa B. Ma-

Mariæ Magdalena ex plumbea tumba desumpta fuerint, quæ ante biennium visitata per Episcopum Altisiodorensem & Episcopum Petrum de Belinas fuerant reperta infra Altare majus cum ossibus & capillis oblongis involutis serico & cum attestato Caroli Regis, sine designatione anni, quod recondita essent ossa B. Mariæ Magdalena; quodque Rex & Legatus sibi quædam ex iis reservaverint; ac Religiosis ejusdem Monasterii præceperint, ut cætera piè & cautè custodirent.

Hæc, ut vehementer fontem traditionis reddunt turbidum; ita narrationes in illa Deuterofsi, ut Justinianus *Novel. 146.* appellat recentiorem traditionem, duntaxat fundatas, licet receptissimas, efficiunt incertæ: quæ etiam diutissimè à plerisque creditæ, ad justam veritatis scrutatorum trutinam relatæ, suo destituuntur pondere. Cæterum, si in memoratarum cultu reliquiarum, quem judicat bona intentio, non committatur error noxius: attamen magis circumspiciti in ea traditione, in qua pietas collocatur, quid magis, quam creperam probabilitatem haud scrupulosè requirunt. Longè majus ad tempora posteriora interdum quadrat, quod olim Curtius *Lib. 9. cap. 15.* questus est. *Nimirum summa componendum veterum rerum monumenta vel securitas; vel parvum vitium, credulitas est.*

At de his satis superque in agitata Controversia, cum neutra sententia apertè Scripturæ Sacræ repugnet, utraque Sanctorum Patrum autoritate fulciatur, quoad usque Ecclesia positivè non discernat, stabit sua cuique sentiendi libertas. Nec temeraria jure vocari potest opinio, quæ probabilibus saltem nixa fundamentis, non apparet conformis illi, quam usu videtur approbare Ecclesia. Ut enim candidè discurret Daniël Papebrochius *in conat. histor. post Liberium* nimia profectò simplicitate peccant, qui scandalizantur, quoties audiunt, ex jam

olim creditis, & juxta Breviarii ac Martyrologii præscriptum hodieum recitandis in disputationem adduci. Id enim si malè nunc fieret, factum etiam malè fuisset ante hac in iis, quæ postea murata & expuncta fuerunt, VG. in Lectionibus S. Ursulae, S. Brunonis &c. nec via ad veritatem patuisset; stante irrefragabili, quàm tales Breviario & Martyrologio tribuunt, autoritate. Nimia etiam morositatis sunt arguendi, qui, cum audierint passim aliquid ab eruditis reprobari, indignantur, quod id non statim auferatur de medio, VG. *Lecl. 2. Noct.* in Festo S. Marthæ: non advertentes ad mutationes quantumcunque justas, nonnisi lentissimè procedere. Ecclesiam. Corrigendis Breviariis multum laboris & industriæ fuit à Præfatis Gallia non ita pridem insumptum, idque maxima ex parte intra contradicentium reciprocas concertationes. Quo factum, ut Ecclesiæ Parisiensis, Aurelianensis & Vienneensis, item Ordo Cluniacensium in suis Breviariis omiserint ea de officio, S. Mariæ Magdalena, quæ poterant præbere occasionem confundendi hanc cum peccatrice & Lazari sorore.

Oportebat fortè plures, quàm sperent, ut idem adhuc magis exactè, ac distinctè in assumenda revisione Breviarii Romani fieret: verum ea, quæ mutationem illam impediunt, aut retardant, paucioribus nota sunt. Sufficiat reflexisse ad verba S. Augustini *Epist. 119. Ipsa mutatio consuetudinis, etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Sufficiat modò hypercriticis, quod Ecclesia eorum necdum censuraverit sententiam, qui libris, Superiorum permissu evulgatis, docuerunt, quod mulier in civitate peccatrix, Maria Magdalena, & Maria soror Lazari sint tres distinctæ mulieres. Eorum autem opiniones, qui cum S. Ambrosio *in cap. 24. Luc.* sustinent duas fuisse mulieres, quæ, ut nomen Mariæ, sic cognomen habuerint Magdalena: vel cum Photio apud Turria-

num volunt tres fuisse Marias Magdalenas, duas peccatrices, tertiam sororem Lazari in Evangelio nullum habent fundamentum; Veterumque sententiæ communi repugnant, ideoque à Theologis rejectæ. Potuit tamen fieri, ut Additio Censoris post Orat. Estii habet, quòd etiam soror Lazari, & illa peccatrix sit cognominata Magdalena, non quidem in Historia Evangelica, sed à populo Christiano: nam ulus fidelium quædam ex Sacris Litteris petita nomina propria facit communia, & contra quædam communia facit propria.

Tres fuisse Marias, quæ cum aromatibus ad sepulchrum Domini venerint, communis est vox fidelium: in Evangelio tamen illa tertia non Maria nominatur sed Salome. Verum consuetudo ei nomen dedit Mariæ. Quare quod in Martyrologio Romano die 22. Octob. legitur. *Hierosolymis S. Maria Salome, quæ in Evangelio legitur circa sepulchrum Domini sollicita.* Accipiendum, ut usu populi Christiani hæc vocetur Maria, quæ vero nomine Latinis dicitur Saloma.

Controversiæ finem imponar S. P. Augustini parænesis. *Lib. 1. de Genes. ad Litt. In rebus obscuris atque à no-*

stris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quæ possunt salvâ fide, quæ imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos præcipiti affirmacione ita projiciamus, ut si fortè diligentius discussa veritas eam labefactaverit, corruamus, non pro sententia divinarum scripturarum: sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est: sed potius eam, quæ Scripturarum, nostram esse velle debemus.

* * *



CON-